



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensis Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Notatio ad Caput Septuagesimum secundum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

A HENRICVS quidam nimio vino obrutus, cum alijs corrumpi cœpit, & probra iactare. A verbis ad enses ventum est. Interim ille apud talum in neruo dirè vulneratur, crureque ex eo vulnere contracto, ambulandi facultate destituitur. Quæ res ad eam inopiam illum adduxit, vt scipionibus innixus, stipem quotidie ostiatim emendicare compulsus sit. Vt verò comperit multos quotidie curari à beato ENGELBERTO, ad locum cædis eius profectus est: nec tamen tunc curatus est: sed cum spem non abijceret, & tertio non sine multa difficultate eo accessisset, post preces supplices DEO & beato ENGELBERTO oblatas, integrè curatus est.

Contractus
fit sanus.

B Notatio ad Caput Septuagesimum
primum.

MANUSCRIPT. Henricum hunc facit Mercenarium ex villa Rassengen, quæ Dominium est in partibus Flandriæ; nisi malis legere Rattingen municipium terræ Montensis.

Rassengen

Ratingen.

C Caput Septuagesimum secundum.

De Hildegunde ab inflatione corporis liberata.

NEC solùm ijs locis, quibus necatus & sepultus est martyr noster, signis & miraculis clarescere voluit, sed quanti apud Deum sit meriti, etiam in remotis locis, non rarò ostendit. In vrbe quadam faber vxorem habuit toto corpore adeò inflatam, vt hydropsi laborare putaretur. Sesquiannum illo incommodo ita male affecta fuit, vt omnis edendi atque bibendi appetitus planè prostratus in ea esset. Nocte quadam audiuit vocem in somnis: Si locum, vbi fusus est sanguis beati martyris ENGELBERTI, visitaueris, eius meritis mox curaberis. Indicat marito, quid audierit. Ille summo mane cum ea iter ingreditur: quod cum necdum medium confecissent, mulier planè incolumem se sensit. Id vbi maritus comperit, non ingratus tanto beneficio, pergit cum illa, venientesque in Giuelsberg, martyris gloriam prædicant, & miraculum diuulgant, hilariterque annum centum promittunt.

Mulier
morbidam
sanatur.

D Notatio ad Caput Septuagesimum secundum.

Mm 3

Fabrum

Huxaria.

FAbrum hunc Betzelinum & vxorem eius Hildegun-^A
dem tradunt manuscripti fuisse Huxarienses. Huxaria
verò oppidum est ad Vilurgim Abbatis Corbeiensis iurisdic-
tioni subiectum, quod olim Philippus Archiepiscopus Co-
loniensis in iniuriarum ab Henrico Saxone illatarum vindi-
ctam, incendio vastauit, vti narrat Gobelinus persona Cos-
modromij ætate sexta.

Caput Septuagesimum tertium.

De Virgine à graui aegritudine curata.

Virgo
morbida
sanatur.

VIRGO quædam octo annis morbi cuiusdam infestatione adeò de-
bilitata fuit & excruciatâ, vt absque alienis manibus nec edere, nec
bibere, nec loco mouere se posset. Adducta igitur ad locum, vbi beatus
Episcopus sanguinem fudit, mox vt illum attigit, sanata est.

Notatio ad Caput Septuagesimum tertium.

Manuscripti Virginem hanc inquilinam dicunt pagi^C
Hagensis, cuius capite 46. memini. pag. 254.

Caput Septuagesimum quartum.

De Puerò mente capto & sanato.

1237.
Puer mète
captus
curatur.

HOc anno, qui est à Christo nato millesimus ducentessimus tricesi-
mus septimus, puer quidam annos plus minus sedecim natus, sed
mente captus, à matre ductus est in beati ENGELBERTI Ecclesiam, quæ
est in Giuelsberg. Stanti autem illi in eo templo, quidam sic ait: Abi
ad altare, & sublatis manibus ora beatum pontificem, qui illic sangui-^D
nem suum fudit, vt te sanet. Fecit ille, vt iussus erat, & curatus est.

Notatio ad Caput Septuagesimum quartum.

Mscr. Mo-
nasteriësis.

HætenuS manuscripti Svvelmensis plerumque fidem
secutus, nunc quæ sequuntur ex Monasteriensi restituo,
quòd in illis prior deficiat.

Caput